

sed etiam ab ipsa voluntate, cujus imperio et motioni subjicitur quoad exercitium. Plura si cupis, adi S. Thomam (1).

ARTICULUS II.

Utrum indifferentia objectiva ita sit radix libertatis, ut illa stante nequeat voluntas a Deo cogi vel necessitatem pati.

Status questionis aperitur.

119. Ex hactenus dictis constat indifferentiam passivam non sufficere ad libertatem, sed activam requiri, immo vero essentiam liberi arbitrii sitam in ea esse. Indifferentiam objectivam ostendimus requiri ad libertatem, non quod in ea formaliter consistat libertas, sed quod ea sit radix, causa et fundamentum libertatis. Nunc autem quaeritur, quanta sit connexio indifferentiae objectivae seu iudicii cum voluntate, utrum nempe illa stante necessitari, vel ad unum determinari queat voluntas a Deo. Cum hac quaestione, quae maxime pertinet ad veram rationem libertatis cognoscendam, quamdam cognitionem habet illa alia, utrum voluntas cogi vel violentiam pati possit a Deo, quae quamvis disputari soleat in tractatu de voluntario et involuntario, haud tamen otiosa erit, opinor; sed juvare poterit ad priorem, eamque praecipuam, controversiam melius intelligendam. Utrumque vero investigatur respectu divinae potentiae, quia pro certo habetur nullam causam creatam posse voluntati vim vel necessitatem inferre directe atque immediate. Si enim nulla causa creata etiam angelica potest immediate et directe, id est efficienter inclinando, movere voluntatem, ut communiter docent Scholastici cum S. Thoma (2), multo minus poterit hoc pacto cogere, ac determinare ad unum, quamquam posse indirecte sentiunt nonnulli, ut statim notabimus.

Nulla causa creata potest humanam voluntatem cogere vel necessitate directe et immediate.

(1) Locis citatis. Cfr. Bellarmin. *de grat. et lib. arbitr.* lib. 3, cap. 7 et 8.

(2) S. Thom. 1. 2. quaest. 9 et 10; *de verit.* quaest. 22, art. 9, etc. Et vide superius scripta num. 73, pag. 187, seqq.

§ I. UTRUM VIS VEL COACTIO INFERRI QUEAT VOLUNTATI.

120. Violentum jam alias descripsimus, ex celebri Aristotelis definitione, *cujus principium est ab extrinseco, passo* (id est subjecto, cui violentia inferitur) *non conferente vim*, id est reluctante. Voluntas vero considerari potest et in se et in ordine ad actus aliarum potentiarum, quos potest velle, et imperare. At in voluntate ipsa in se considerata rursus spectari possunt habitus et actus eorumque privationes; nam cum voluntas sit potentia immanenter operans, ac proinde in se recipiens actus, quos efficit, actibus et habitibus perfici potest, aut privari. Rursus vis bifariam inferri potest subjecto, positive, imprimendo illi formam vel actum contra suam inclinationem, et negative, negando formam vel actum naturalem aut debitum. Itemque violentia spectari potest respectu appetitus innati et elicit. Quamobrem circa haec omnia controversia versari potest.

Quid violentum:

nonnullae notiones exponuntur.

121. Et primo quidem tum circa actus tum circa habitus vel dispositiones similes indubitatum videtur voluntati fieri vim posse negative aut privative. Deus enim procul dubio potest voluntatem, quantumvis reluctantem, actibus suis maxime sibi convenientibus privare: quod bifariam efficere valet, primo impediendo cognitionem intellectus aut alia praerequisita, secundo suspendendo concursum suum, cum jam ad sunt caetera omnia praerequisita; tunc enim voluntas naturaliter postulat habere paratum concursum, potissimum si ipsa parata sit ad operandum (1). Bartholomaeus de Medina (2)

Voluntati vis inferri potest negative aut privative, sive circa actus, sive circa habitus:

et quotuplici modo inferri queat, tum circa actus,

(1) Observat Suarez cum Paludano in priori horum duorum modorum non inveniri proprie violentiam, quia non est debitum voluntati, ut habeat semper parata omnia praerequisita ad operandum: unde si ex defectu illorum careat actu, non esse proprie violentiam, sed imperfectionem naturalem. (Suarez, *de voluntar. et involuntar.* disp. 2, sect. 4, punct. 2. num. 8). Existimo tamen haec solum valere de violentia relate ad appetitum naturalem voluntatis, non autem relate ad appetitum elicicum. Si enim voluntas vellet habere cognitionem, a qua in alio actu dirigeretur, et illam Deus impediret, contentia hujusmodi videtur fore violenta voluntati, utpote ab extrinseco proveniens, maxime illa renitente per actum praesentem aut praeteritum non revocatum. Cfr. Salas (In 1.^{am} 2.^{ae}, tract. 3, disp. 2, sect. 6, num. 57).

(2) Medina, In 1.^{am} 2.^{ae} quaest. 6, art. 4, *conclus. 3.^a*

censet etiam aliter fieri posse voluntati violentiam privativam quoad actus, si nempe Deus efficeret, ut loco unius actus, quem habet, vel vult habere illa, faciat alium intensiorem contrarium et impossibilem cum priori. Bene tamen respondent Suarez et Salas, nullam in hoc inveniri proprie coactionem, quamdiu novus actus supponatur elicited ab ipsa voluntate; quia ut postea dicemus, omnis actus, a voluntate elicited, essentialiter voluntarius est, ac proinde non coactus. Ergo novus certe ille actus non est coactus. Verum neque est violentia in cessatione prioris actus, quia illa sequitur intrinsece ex actu voluntario contrario priore, qui est simpliciter voluntarius. Igitur in illo tamquam in causa est voluntaria privatio actus contrarii, ac proinde non est coacta. Præterea privatio illa dicenda videtur esse ab intrinseco, quia contrarius actus est ab intrinseco; qui enim inducit unam formam, expellit aliam eidem repugnantem. Atqui de essentia coacti est, ut sit a principio extrinseco (1). Cæterum docet idem Medina etiam a creatura posse voluntatem pati negativam violentiam per subtractionem prærequisitorum, ut v. g. si «dum quis vult persistere in actuali Dei amore, impediatur ab alio, qui dedit fraudulentè potum inebriantem, vel dormire facientem: tunc enim voluntas cessat ab actu contra propriam inclinationem» (2).

tum circa habitum.

Simili modo dupliciter potest Deus efficere, ut voluntas careat habitu invita, primo, non conservando seu destruendo jam acquisitum, et secundo, non concurrente cum actibus voluntatis, ut signatur, et sic impediendo ne voluntas comparet habitum, cum naturaliter comparare deberet (3). Huc revocari posset, ut quibusdam placet, etiam destructio ipsius voluntatis contra appetitum essendi, sive naturalem sive etiam prius elicited et non revocatum (4), quamvis Suarezio et Tannero aliter videatur, quos impugnat Arriaga (5).

(1) Vide Suarez (de *Voluntar. et involuntar.* disp. 2. sect. 5, numero 4); Salas (In 1.^{am} 2.^æ tract. 3, disp. 2, sect. 6, num. 57).

(2) Medina, loc. nup. cit., *Secunda conclus.* Cfr. Salas, loc. cit. num. 58.

(3) Vide Suarez, loc. cit. sect. 4, punct. 2, num. 5, sect. 5, num. 3.

(4) Vide Salas, loc. cit. num. 56.

(5) *Disputat. Theolog.* tom. 3, de *actibus human.* disp. 10, sect. 34

122. Si jam quæras, quid dicendum sit de violentia positiva voluntati illata in receptione habituum, quantum pertinet ad violentiam respectu appetitus elicited, «res certa est, inquit Eximius Doctor, posse Deum cogere voluntatem ad recipiendum quemcumque habitum seu actum primum, cujus ipsa sit capax; quia voluntas potest, quantum in ipsa est, nolle talem actum vel receptionem ejus, et nullo modo illam velle, quia talis infusio vel receptio habitus nec per se ipsam intrinsece voluntaria est, nec necessario secum affert aliquem actum, quo voluntas illam velit: potest ergo esse omnino involuntaria, et alioqui voluntas per suam nolitionem, quantumvis de se absolutam et efficacem, non potest divinam efficientiam impedire. Potest ergo Deus hujusmodi actus efficere in voluntate omnino contra internum impetum elicited ejus, et hæc est coactio, et ita in hoc conveniunt omnes auctores citati. Nec repugnat D. Thomas, vel quia nihil de habitibus, sed tantum de actibus, locutus est, vel certe quia, cum solum negat posse voluntatem cogi ad actum elicited, tacite id admittit fieri posse in quacumque alia actione vel passione, quæ fieri possit in voluntate, cujus ipsa non sit principium eliciedens» (1).

Quid dicendum de violentia positiva in receptione habituum, illata voluntati sive respectu appetitus elicited,

Si vero sermo sit de violentia respectu appetitus innati, PP. Suarez et Gaspar Hurtado negant possibilem esse violentiam in receptione habituum. Quia habitus, qui infunduntur, vel sunt supernaturales vel naturales. Si supernaturales, cum hi non sint contra, sed supra naturalem vel innatum appetitum, non possunt esse violenti. Verum neque si sunt naturales, quia si sunt boni, erunt secundum capacitatem ipsius voluntatis; vitiosi autem non possunt infundi a Deo. Alii tamen scriptores cum Arriaga (2) et Suarez lusitano (3), qui etiam in patrocinium suæ opinionis laudat Patres (4) Vazquez et Salas (5); verum hi duo scriptores

sive respectu appetitus innati.

(1) Suarez, loc. cit. sect. 5, num. 2.

(2) Arriaga, *Disputationes Theologicae*, tom. 3, tract. de *actibus human.* disp. 10, sect. 4.

(3) *De anim.* tract. 6, disp. 2, sect. 7, paragr. 3.

(4) In 1.^{am} 2.^æ, disp. 26, cap. 2, num. 16 fin.

(5) In 1.^{am} 2.^æ, tract. 3, disp. 2, sect. 6, num. 56, *Dico 2.^o*

diserte loquuntur de violentia, quæ fiat voluntati ratione non appetitus innati, sed ratione actus vel appetitus eliciti contrarii. Et P. Salaz nihil dicit de violentia respectu appetitus innati, P. vero Vazquez contrarium expresse videtur ibidem sentire, cum scribit «nullam posse vim pati voluntatem, quia ei habitus infundatur *contra impetum internum nativum* ad eliciendum, quia nulli habitui infuso *inclinatio nativa voluntatis repugnat*.» Existimo nihilominus satis probabilem doctrinam Arriagæ ac Soarii lusitani, quia voluntati, maxime in actibus odii alteriusve vitii exercitæ, potest Deus infundere habitum vel alterius virtutis contrariæ illis actibus, quidquid sit, utrum Deus absolute infundere queat habitum vitiosum. Atqui talis infusus habitus amoris vel alterius virtutis videtur esse coacta dicenda. Nam et provenit ab extrinseco principio et renitente voluntate hic et nunc etiam secundum appetitum naturalem; quamvis enim absolute voluntas naturaliter non reluctatur habitui amoris vel alterius virtutis, quia omnis huiusmodi habitus est perfectio voluntatis, verum reluctatur quatenus exercita frequenter actibus odii vel alterius vitii. Quia voluntas, quæ sæpe aliquem actum exercet, naturaliter habitum illius exigit, eoque ipso videtur contrario habitui reluctari. Plura de his, quorum sapientioribus iudicium relinquo, videri queunt apud Rodericum Arriaga.

Et quid
de violentia
positiva volun-
tati illata in
recipiendis
actibus
ab ipsa elicitis

123. Quid porro dicendum est de violentia positiva voluntati illata in recipiendis actibus? Cum actus voluntatis sint, duplicis generis eliciti ab ipsa et imperati; de utriusque solet institui disputatio. Circa elicitos actus voluntatem cogi posse positiva violentia negat communissima opinio cum S. Thoma (1), S. Bonaventura (2), Scoto, Richardo et aliis antiquioribus (3), Cajetano, Conrado, et Bartholomæo de Medina (4), Thoma Sanchez (5), Azor (6), Fonseca (7),

(1) S. Thom. 1. 2. quæst. 6, art. 4; de verit., quæst. 22, art. 5, et art. 8.

(2) S. Bonavent. 2.^a dist. 25, 2.^a part. art. 2, quæst. 4 et 5.

(3) Apud Suarez, Vazquez et Salaz max citandos.

(4) In 1.^{am} 2.^æ, quæst. 6, art. 4.

(5) De Matrimon. lib. 1, disp. 1, num. 2.

(6) Instit. Moral. tom. 1, lib. 1, cap. 9, quæst. 1.

(7) Metaphys. lib. 9, cap. 2, quæst. 2, sect. 3.

Suarez (1), Vazquez (2), Valentia (3), Salas (4), Gaspare Hurtado (5), Soarez lusitano (6), Mastrio (7) Billuart (8), etc., etc.: idemque passim docent Theologi. Contrarium vero docent quidam, ut Scotista Vulpes apud Mastrium et Arriaga (9).

Sed communis doctrina probatur illa simplicissimo argumento. Actus coactus vel invitus ille est, qui procedit ab extrinseco, passo vel subjecto ipso nihil conferente, sed contra renitente. Atqui de ratione actus eliciti a voluntate est, ut ab eadem intrinsece procedat. Ergo actum elicitem a voluntate esse coactum est pugna in terminis. Ad rem S. Anselmus: *Ligari... homo potest invitus, quia nolens potest ligari; torqueri potest invitus, quia nolens potest torqueri; occidi potest invitus, quia nolens potest occidi; velle autem non potest invitus, quia velle non potest, nolens velle; nam omnis volens ipsum suum velle vult* (10). Et S. Thomas: *Quantum ad ipsum actum voluntatis, non potest ei violentia inferri. Et bujus est ratio, quia actus voluntatis nihil est aliud, quam inclinatio quedam precedens ab interiori principio cognoscente, sicut appetitus naturalis est quedam inclinatio ab interiori principio et sine cognitione; quod autem est coactum vel violentum, est ab exteriori principio. Unde contra rationem ipsius actus voluntatis est, quod sit coactus vel violentus; sicut etiam est contra rationem naturalis inclinationis vel motus lapidis, quod feratur sursum. Potest enim lapis per violentiam ferri sursum, sed quod iste motus violentus sit ex ejus naturali inclinatione, esse non potest. Similiter etiam potest homo per violentiam trahi; sed quod hoc sit ex ejus voluntate, repugnat rationi violentiæ* (11).

(1) De voluntar. et involunt. disp. 2, sect. 5.

(2) In 1.^{am} 2.^æ disp. 26, cap. 1.

(3) In 1.^{am} 2.^æ disp. 2, quæst. 1, punct. 3.

(4) In 1.^{am} 2.^æ tract. 3, disp. 2, sect. 6, num. 66.

(5) De actibus human. disp. 1, de voluntar. difficult. 10.

(6) De anim. tract. 6, disp. 2, sect. 7, paragr. 1.

(7) De anim. disp. 7, quæst. 7, art. 2, num. 27.

(8) Tract. de actibus human. dissert. 1.^a art. 5.

(9) Disputat. theolog., tom. 3, de actib. human. disp. 10, sect. 6.

(10) S. Anselm. de libero arbitrio, cap. 5. Cf. August. de civit. Dei, lib. 5, cap. 10.

(11) S. Thom. 1. 2. quæst. 6, art. 4.

Quaedam
objecta dissol-
vuntur.

124. Dices 1.^o Potest a Deo solo infundi actus v. g. amoris voluntati. Atqui actus ejusmodi foret ab extrinseco, et voluntate non concurrente. Ergo coactus.—**Respondeo trans.** Major et Minor, et *neg. conseq.* Quia ejusmodi actus, licet posset esse similis actibus elicitis voluntatis, re tamen vera hic et nunc non foret elicitus, utpote qui supponitur effectus a solo Deo. *Transmissi* autem Majorem, quia valde dubia est: potest quidem probabiliter concedi, ut superius innuimus (1), verum a multis negatur (2). Minor etiam ob eandem rationem transmittitur, quia ejusmodi actus sic a Deo solo productus et voluntati impressus, secundum multos (3) coactus dicitur, aliis tamen refragantibus (4), propterea quod actus a Deo infusus quamvis non produceretur a voluntate, posset tamen convenire illius inclinationi naturali seu perfectio et ornamentum ipsius, vel certe proportionem servare cum natura voluntatis (5). Quamobrem quia non oportet certiora ex incertioribus confirmare, satius esse existimo præscindere ab hujusmodi controversiis, et malo difficultatem solvere negata consequentia.

Dices 2.^o Potest Deus efficere, ut voluntas aliquid velit, quando nollet velle, durante hac ipsa nolitione. Atqui tunc haberetur quiddam ad actum coactum requiritur, nempe principium extrinsecum, Deus, et positivâ reluctancia voluntatis. Ergo.—**Respondeo, neg.** Minor., quia quamdiu supponatur voluntatem *elicere* actum volitionis, etiamsi id fiat impellente Deo, atque omnino necessitante, actus istiusmodi verissime est a principio intrinseco, ideoque vere ac simpliciter voluntarius, quamvis possit fortasse esse aliquo modo, nempe secundum quid, involuntarius propter illam simplicem

(1) Vide supra num. 16, pag. 36. Vide Salas. In 1.^{am} 2.^{am} tract. 3, disp. 2, sect. 6, num. 681

(2) Ita v. g. P. Vazquez (In 1.^{am} 2.^{am} disp. 26, cap. 2, num. 10; disp. 9, cap. 6, num. 37, cap. 3), Medina (Ibid. art. 4, ad 5.^{um} in fine), etc.

(3) Vide v. g. P. Arriaga, loc. cit.

(4) Vide v. g. Valent., In 1.^{am} 2.^{am} disp. 2, quæst. 1, punct. 3.

(5) Cfr. Suarez (loc. cit. sect. 5, num. 6), Salas (loc. nup. cit.), Valentia (loc. cit.).

et inefficacem displicentiam, Non est ergo simpliciter invitus (1).

Dices 3.^o Potest Deus per suam omnipotentiam facere, ut in voluntate cum actu volitionis sic ex motione ipsiusposito, adsit simul alius actus, non simplicis duntaxat displicentiæ, sed absolutus et efficax nolitionis. Ergo tum saltem haberetur actus violentus.—**Respondent** aliqui, in eo casu non esse inconveniens concedere actum elicitem a voluntate esse coactum, non tamen ut elicitem, quia ut sic voluntarius est, sed ut imperatum, seu imperabilem aut amabilem per alium actum distinctum; actus enim eliciti a voluntate possunt esse etiam imperati per alios actus ejusdem voluntatis, ut supponitur, et ideo non est mirum, quod sub hac ratione irriterent alios actus imperatos, in quibus potest esse coactio, ut postea videbimus. (2). Melius tamen responderi potest cum Eximio Doctore, primo *negando* antecedens propter specialem repugnantiam, quæ videtur esse in actibus intentionalibus contrariis intellectus et voluntatis, ne sint simul in eodem subjecto (3), prout egregie probat Bartholomæus de Medina cum P. Victoria (4); secundo, quiddam sit de antecedente, *negando* conseq. Nam «etiamsi per possibile vel impossibile admittamus cum volitione alicujus rei simul posse esse absolutam nolitionem habendi talem actum, nihilominus non posset dici simpliciter coactus, primo quia non est major ratio de uno, quam de alio: ergo vel uterque est coactus, vel neuter: non potest autem intelligi utrumque esse coactum, quia non possunt ambo esse contra appetitum

(1) Vide Suarez, loc. cit. sect 5, num. 7, ubi hæc habet: «Si voluntas necessitatur, aut efficaciter movetur, ut actu absoluto aliquid velit, non poterit tunc manere in illa absolutus actus, quo nolit alium actum, nam tales actus sunt absolute et omnino contrarii et repugnantes: ad summum ergo habere poterit actum simplicem, quo nolit habere talem actum, qui non faceret actum involuntarium simpliciter, sed tantum secundum quid; ille autem esset aliunde et per se ipsum voluntarius simpliciter, et consequenter non esset coactus simpliciter, sed secundum quid et improperie, sicut ea que fiunt ex metu».

(2) Suarez, loc. cit. num. 8.

(3) Vide Suarez, loc. cit. num. 8.

(4) Medina, In 1.^{am} 2.^{am}, quæst. 6, art. 4, versus fin. in responsione *Ad quartum*.

simpliciter voluntatis: ergo neuter. Secundo quia ille actus simpliciter per se et intrinsece est voluntarius: ad summum autem potest dici involuntarius per denominationem extrinsecam seu respectum ad alium actum. Ergo magis et perfectius est voluntarius, quam involuntarius: non est ergo coactus, nam quod coactus est, debet esse simpliciter involuntarium. Et in hoc est aperta differentia inter actus a voluntate imperatos in aliis potentiis, et in se ipsa; nam illi non sunt per se intrinsece voluntarii, sicut actus ipsius voluntatis, qui simul sunt eliciti ab ipsa», ut notavit Almainus (1). «Denique hic actus necessario est a principio intrinseco respectu ipsius voluntatis, unde non fit in ea, ipsa non conferente vim. Ex hoc ergo capite etiam deficit a ratione coacti. Simpliciter igitur loquendo non potest coactio voluntati inferri in actionibus positivis illius» (2).

Dices 4.^o Potest Deus necessitare voluntatem ad actum. Ergo jam ille actus coactus dicens esset.—*Respondeo neg.* conseq. Quia non est contra naturam actus voluntarii seu a voluntate intrinsece procedentis, ut sit necessarius; nam voluntarium dividitur in necessarium et liberum, et sic etiam sunt plures actus in voluntate necessarii, ut jam explicuimus. At vero contra rationem essentialem coacti est, ut ab intrinseco principio procedat. Ergo Deus non potest efficere, ut actus vere a voluntate elicitus sit coactus.

Dices 5.^o Ponamus voluntatem sæpe exercitam in odio erga Joannem, et nunc quoque ob vividam memoriam injuriæ ex illo receptæ ad eundem odio habendum paratissimam, determinari a Deo ad amorem. Hic amor videtur fore coactus, quia est contra vehementem impetum voluntatis.—*Respondeo, neg.* Minor. Nam amor ille vere supponitur, movente Deo, a voluntate procedere. Ergo non est ab extrinseco principio: idque solum sufficit, ut non sit violentus. Præterea etiam nulla est in voluntate in casu objectionis reluctancia appetitus sive eliciti, ut patet, sive etiam innati, quia etiamsi voluntas prædita esset habitu odii, adhuc vere potest amorem elicere, qui proinde non est absolute contra illius proportionem

(1) Almain. tract. 1 moral. cap. 2.

(2) Suarez, loc. cit. num. 9. Cfr. Salas, loc. cit. num. 70.

et naturalem inclinationem. Quod si Deus, post vividam injuriæ memoriam negaret concursus ad odium, simul determinando ad amorem, violentia non esset positiva circa amorem, de quo solum nunc loquimur, sed solum negativa circa omissionem odii.

Dices 6.^o «Motus violentus est ille, qui est contra naturam. Sed motus voluntatis aliquando est contra naturam, ut patet de motu voluntatis ad peccandum, qui est contra naturam, ut Damascenus dicit (1). Ergo motus voluntatis potest esse coactus».—*Respondeo, quod id, in quod voluntas tendit peccando, etsi sit malum et contra rationalem naturam secundum rei veritatem, apprehenditur tamen ut bonum et conveniens naturæ, in quantum est conveniens homini secundum aliquam delectationem sensus, vel secundum aliquem habitum corruptum* (2).

Dices 7.^o Sæpe dicitur homo quædam velle invite et coacte v. g. propter metum. *Respondeo* tunc non dari strictam coactionem seu simpliciter talem, sed tantum secundum quid.

125. Restat, ut dicamus de actibus imperatis voluntatis, seu de violentia voluntati illata in actibus aliarum potentialium, qui extrinsecus moveantur contra imperium vel desiderium illius... Qua in re ex S. Thoma, cui ad stipulatur communis sententia, quantum ad actus a voluntate imperatos voluntas violentiam pati potest, in quantum per violentiam exteriora membra impediri possunt, ne imperium voluntatis exsequantur (3). Et constat res experientia, quia quando nolente aliquo, alius movet manum ejus, vel volente videre, alter claudit illius oculos, recipit ille in se motum vel passionem contra suam voluntatem. Ergo datur ibi coactio: unde etiam tales actus nequeunt imputari, quia sunt involuntarii. Ratio vero a priori est, quia voluntas humana limitatæ virtutis est atque efficacitatis, et ideo facile potest a fortiori agente superari. Quoniam autem voluntas est appetitus totius hominis et

Et quid de violentia illata in actibus aliarum potentialium. Affirmat opinio communis inferri posse violentiam voluntati in se ipsa.

(1) S. Damascenus, de Fide orthodoxa, lib. 4, cap. 21.

(2) S. Thom. 1. 2. quest. 6, art. 4, ad 3.^{um}, quo in loco plura videntur. Cfr. de verit. quest. 22, art. 8.

(3) S. Thom. 1, 2. quest. 6, art. 4.

supremus, propterea quidquid est absolute contra voluntatem, est simpliciter coactum respectu hominis (1).

notanda ut hæc
doctrina
recte intelli-
gatur.

Ad præcavendas tamen difficultates, probe nota, cum S. Thomas et alii dicunt voluntatem circa actus imperatos posse pati violentiam, rem intelligendam esse de effecti secundum voluntatis imperium, sed de illis, qui solent, et possunt esse imperati, nunc tamen ponuntur præcise contra imperium. Quia repugnat actum esse de facto imperatum seu positum ex imperio, et simul coactum, ut per se patet, siquidem si est imperatus, jam est secundum imperium, atque adeo secundum inclinationem voluntatis.

Cæterum ut melius communem hanc doctrinam intelligas, duplici modo considerari possunt actus potentiarum, quæ contra imperium voluntatis moventur extrinsecus, primo respectu voluntatis vel hominis ipsius, secundo respectu potentiarum. Quando ergo actus isti dicuntur coacti, id intelligitur de actibus consideratis respectu voluntatis vel hominis, quia hoc pacto sunt contra ejus inclinationem et in eodem sensu ab extrinseco, quia completus modus, quo hujusmodi actus *modo humano* fieri debent, est consentiente, ac movente voluntate, quæ proinde si non moveat illos imperio suo, sed contra reluctetur, principium eorum non est intrinsecum. Dices forte, si hæc ratio valeret, etiam motum sensitivi appetitus, qui in homine insurgit contra voluntatem ejus, dicendum fore coactum, quia ut sic a principio extrinseco est respectu voluntatis. Consequens autem videtur falsum, quia motus ille appetitus per se et intrinsece voluntarius est.—Sed respondebo, *concedendo* sequelam. «Ratio vero in contrarium facta solum probat illum actum non esse coactum appetitui, non vero non esse coactum voluntati, atque adeo homini, ut homo est, qui per solam voluntatem *humano modo* operatur» (2). Ac proinde motus prædictus appetitus non est voluntarius in strictiori sensu, nempe procedens a voluntate, sed in latiori, quatenus voluntarium sumitur pro spontaneo, et prædicari potest etiam de brutis. Instabis. Nam ex hac doctrina

(1) Suarez, loc. cit. sect. 6, num. 1.

(2) Suarez, loc. cit. sect. 6, num. 5.

sequi videtur, etiam motus imperfectos, qui in ipsamet voluntate insurgunt ex motione appetitus, esse coactos, atque ita reperiri coactionem in actibus elicitis a voluntate. Et ratio est, quia etiam illi motus sunt contra plenum et absolutum consensum voluntatis.—Respondetur nequaquam in his per se reperiri coactionem, quia si voluntas actu habeat deliberatam et absolutam voluntatem repugnantem hujusmodi motibus, jam habent sufficientem rationis advertentiam; unde fieri non potest, ut hujusmodi motus involuntarie insurgant. Si autem nec ratio advertit, nec voluntas habet deliberatum actum contrarium, possunt quidem insurgere illi motus, qui tunc erunt necessarii, non autem coacti, quia non sunt contra actuale appetitum voluntatis. Atque idem est, si contingat prius rationem advertere, postea vero vi et efficacia passionis fieri, ut distrahatur, et non advertat, et propter hanc causam insurgant motus in voluntate, nam tunc etiam non est coactio, sed mutatio voluntatis (1).

Si jam actus aliarum potentiarum, contra imperium et inclinationem voluntatis factos, in se ipsi et relate ad ipsas potentias consideres, quamquam Bartholomeus Medina (2) et Dominicus Soto (3), quos sequitur P. Salas (4), arbitrentur, illos esse coactos, plures tamen alii docent non esse proprie violentos neque coactos (5). Et ratio est, quia actus a talibus potentiis elicitive producti, certissime sunt ab intrinseco. Si enim te nolente videre, et oculos claudente, alter per vim oculos tibi aperiat, et videas, visio tua profecto est æque operatio vitalis et immanens, ac si consentiente et imperante voluntate posita fuisset. Ergo actus hujusmodi, non respectu hominis vel voluntatis, sed seorsim, prout a suis particularibus potentiis proficiscuntur, considerati, non videntur esse

Utrum quando
aliter potentie
contra
imperium
voluntatis mo-
ventur, actus
eorum
proprie dici
queant coacti
respectu
ipsarum.

(1) Suarez, loc. cit. sect. 6, num. 5.

(2) In 1.^{am} 2.^æ, quest. 6, art. 4, *Sexta conclus.*

(3) 4.^o dist. 29, quest. 1, art. 5.

(4) In 1.^{am} 2.^æ, loc. cit. num. 48, seqq.

(5) Vide Durandum, Paludanum et Almainum apud Suarez, qui eosdem sequitur (loc. cit. sect. 6, num. 7); sicut etiam P. Vazquez (In 1.^{am} 2.^æ disp. 26, cap. 4), Valentia (In 1.^{am} 2.^æ disp. 2, quest. 1, punct. 3, *Ad ultimam probationem ejusdem Minoris*), Azor (*Instit. Moral.* tom. 1, cap. 9, quest. 6).

coacti. Verum in his, quæ fusiùs pertractata videre potest apud Suarez et Vazquez, potest esse fortasse lis de verbo.

Dices. Quod in aliis potentiis fit, cum, reluctante voluntate, moventur extrinsecus, non fit in ipsa voluntate. Ergo non intelligitur, quo pacto violentum sit respectu voluntatis.—
 Respondeo, neg. conseq. Quia cum potentia aliæ imperio voluntatis subordinentur, et ipsa sit appetitus universalis hominis, re vera quidquid in illis fit, ea reluctante, contra ejus inclinationem fit, ac proinde coacte. Coactio ergo nihil physicum est in voluntate, sed est passio recepta in inferiori aliqua potentia hominis contra voluntatem; nam sicut voluntas dicitur consequi bonum, quod appetit, etiamsi non per seipsam, sed per actionem inferioris potentia illud assequatur, quia ipsa est appetitus universalis; ita e contrario dicitur cogi, quando in inferiori potentia sibi subdita aliquid fit contra appetitum ejus» (1). Et hactenus de his, de quibus, si plura cupis, adi veteres scriptores.

§ II.—UTRUM STANTE INDIFFERENTIA JUDICII VOLUNTAS
 A DEO NECESSITARI QUÆAT.

Utilitas hujus
 controversiæ:

126 Controversia hæc, quæ sub illis quoque terminis, quamvis minus proprie, proponi solet, utrum indifferentia objectiva, nempe judicii, sufficiat ad libertatem; arctissime connexa est cum doctrina *physica*, quam vocant, *prædeterminationis*. Nam nullum contra illam firmiter argumentum hactenus factum est, quam quod si moveatur ita voluntas, ut ineluctabiliter actum ponere debeat, reapse libertas ejus evertatur. Quod argumentum ut effugiant prædeterminationis assertores, communissime respondent, stante prædeterminatione ad unum, adhuc remanere in intellectu judicium indifferens, objectum proponens tamquam non undequaque perfectum, idque sufficere, ut libertas intacta perseveret. Verum utilitas hujus quæstionis non in eo solum stat, ut sterneret viam ad alteram illam de prædeterminatione litem suo loco agendam; sed servit præterea ad amplius declarandam libertatis rationem,

(1) Lege, si vis, Suarez (loc. cit. sect. 6, num. 2), ubi ostendit diversimode se habere in ordine ad coactionem voluntatis actus potentie motive ac cæterarum ex diversa illarum indole.

et conferre etiam potest ad intelligendam in Theologia concordiam divinæ gratiæ cum libertate. Sunt itaque duæ celebres opiniones: prima negat posse Deum necessitare voluntatem, stante indifferentia objectiva, seu judicio rationis indifferenti. Ita sentiunt Magister Bañez (1), Zumel (2), Alvarez (3) et posteriores Thomistæ communissime, ut Ioannes a S. Thoma (4), Cosmas de Lerma (5), Complutenses Carmelitani (6), Cardin. Gotti (7), Billuart (8), etc., etc. Quibus consentire videtur ex nostra Societate P. Vazquez (9), quamvis ex diverso principio, ut ostendit P. Suarez (10). Verum communis nostratum sententia docet, posse voluntatem, etiam stante indifferentia judicii, per divinam virtutem necessitari, atque ad unum determinari. Quam tenent Suarez (11), Bellarminus (12), Valentia (13), Salas (14), Ruiz de Montoya (15), Arriaga (16), Rhodes (17), Quiros (18), Tellez (19),

(1) In 1.^{am} part., quæst. 19, art. 10, dub. 1 in fin. *Sed dices*.

(2) In 1.^{am} part., quæst. 19, art. 10 in appendice de libero arbitr., conclus. 2.

(3) *De auxili.* disp. 126, conclus. 5.

(4) *De anim.* quæst. 72, art. 2, *Dico 2.^o*

(5) *De anim.* lib. 3, quæst. 24, *Dicendum 3.^o*

(6) *Curs. theol.* tom. 5, trat. 10, de voluntat. et involuntat. disp. 5, dub. 3, num. 43.

(7) *Scholastico-Dogmatica Theolog.* tom. 2, trat. 2 de Actibus human., quæst. 2, dub. 4, *paragr.* 3.

(8) *Curs. Theolog.* tom. 2, de actibus human., dissert. 2, art. 5.

(9) Vazquez, In 1.^{am} par. disp. 68, cap. 5; disp. 90, cap. 2, num. 8; disp. 98, cap. 5, num. 3.

(10) Suarez, de Gratia, Prolegom. 1, cap. 4, num. 3-7.

(11) Suarez, de Grat. Prolegom. 1, cap. 4 et 5.

(12) De grat. et lib. arbitr. lib. 4, cap. 11, *Tertio est observandum*, et data opera in cap. 14.

(13) In 1.^{am} 2.^{am} disp. 2, quæst. 1, punct. 5, *Ad secundum et tertium*, et quæst. 5, punct. 4.

(14) In 1.^{am} 2.^{am}, tract. 3, disp. 2, sect. 6, num. 72 seqq.

(15) *De scientia Dei*.

(16) *De anim.* disp. 8, sect. 2, subsect. 1.

(17) *Disputation. Theolog. scholast., De actib. human.* disp. 3, quæst. 2, sect. 5, *paragr.* 2.

(18) *Curs. Philos.*, disp. 36, sect. 1, num. 11.

(19) *Disput.* 68, sect. 3.

Soarez lusitanus (1), Lossada (2), etc. etc., quos præcesserat Thomistæ Conradus, Capreolus, Dominicus Sotus et Cabrera itemque Scotus, Gabriel, Marsilius, Almainus aliique (3). Et idem docent plures Scotistæ, ut Pontius (4), immo et ipse S. Thomas, ut multis quidem videtur, et statim videndum est (5).

127. PROPOSITIO. Nihil repugnat, Deum stante iudicio circa objectum indifferenti, voluntatem necessario determinare.

Non repugnat
Deum,
stante iudicio
indifferenti,
necessario vol-
untatem.

Probari potest 1.^o ex S. Thoma. Nam S. Thomas disserte probat posse Deum necessitare voluntatem ad actum, et modos tradit, quibus id efficere valet (6). Atqui hoc manifesto indicio est, ex S. Doctore indifferentiam objectivam nihil obstare, quominus, ea stante, Deus voluntatem determinet. Nam si contrarium credidisset, operæ pretium profecto fuisset, ut id saltem semel animadverteret, et non absolute et absque distinctione talem traderet doctrinam. Præterea cum Angelicus passim doceat libertatem subaudire in voluntate iudicium indifferens, et ad ea sola se extendere, circa quæ huiusmodi iudicium præcedit; videtur non potuisse movere quæstionem de possibilitate motionis voluntatem necessitantis nisi in hypothesi objectivæ indifferentiæ, qua deficiente, certum erat apud omnes voluntatem naturaliter, nedum per virtutem divinæ omnipotentæ, necessario ad unum determinatam manere (7).

Probat. 2.^o Asserenda est Deo virtus efficiendi quidquid non apparet intrinsece repugnans. Atqui nulla apparet intrinseca repugnantia in eo, quod Deus, stante iudicio indifferenti, voluntatem ad unum determinet; tum quia, ut in

(1) *De anim.* tract. 6, disp. 2, sect. 7, paragr. 5.

(2) *De anim.* disp. 9, cap. 1, num. 16.

(3) Apud Suarez, Proleg. 1.^o de gratiâ, cap. 4, num. 9.

(4) *De anim.* disp. 13, quæst. 3, post conclus. 2.^a, num. 31.

(5) S. Thom., de verit., quæst. 22, art. 8.

(6) Nihilominus R. P. Billuart pro sua illa urbanissima humanitate sententiam hanc eou Suarezii tantum ac Symmistarum ejus propriam refert.

(7) Nihilominus etiam in hoc loco Aquinat's Rev. Pater Billuart (loc. cit. *Objic.* 1.^o) videt præmotionem physicam, et Suarezium carpit, quod aut non legerit, aut noluerit intelligere istum articulum.

solvendis objectionibus patebit, nondum probata est ista repugnantia; tum quia indifferentia iudicii non est formalis libertas, sed tantum radix ejus et exigentia naturalis, quamobrem non potest repugnare, quod etiam posita prædicta indifferentia, ligari queat divinitus libertas.

Probat. 3.^o ex contraria sententia videntur non pauca consequi incommoda: α) quod multum imminuitur dominium Dei, quandoquidem non poterit libertatem creatam præpedire, nisi destructo iudicio indifferenti: unde etiam, stante objectiva indifferentia, omnis omissio operationis foret homini omnino libera, quantumcumque Deus nollet. β) Si sufficeret ad libertatem servandam sola indifferentia iudicii, libertas salva et incolomis permanere posset etiam cum gratia Dei a Calvino et Jansenio propugnata; neque enim illi talem ponebant gratiam, quæ iudicii indifferentiam tolleret, sed tantum quæ voluntati potestatem eriperet aliud efficiendi. γ) Denique posset stare libertas peccandi cum unione hypostatica. Nam non obstante illa unione objecta omnia in seipsis indifferentia, intellectui Christi Domini nostri clarissime talia objiciebantur: quare si stante objectiva indifferentia, non potest libertas auferri, potuisset in voluntate Christi Domini esse libertas ad peccandum, quod horret mens christiana vel cogitare. Ideoque P. Vazquez exceptam voluit voluntatem humanæ naturæ hypostaticæ unitæ Deo. Bene tamen illum Doctor Eximius inconsequentæ arguit, tum «quia unio hypostatica per se ipsam formaliter non est principium activum aut motivum voluntatis, ut nunc tamquam certum suppono,» ac proinde non potest necessitare voluntatem per seipsam, sed aliquam aliam immutationem in voluntate factam requiret, per quam hæc in bono immutabiliter fixa permaneat; tum quia quisquis sit ille modus, quo voluntati Christi Domini erepta est libertas peccandi, non repugnat aliquem similem communicari divinitus cujuslibet alterius hominis voluntati, quo illa, non obstante indifferentia iudicii, ad unum necessario determinetur (1).

Probat. 4.^o quia, quidquid sit de aliis, duo illico occurrunt modi, secundum quos voluntas, stante indifferentia

(1) Vide Suarez, Prolegom. 1.^o de Grat. cap. 4, num. 8.

objectiva, posset a Deo necessitari: a) primo, sicut potest Deus profecto, intellectu proponente indifferenter objectum, voluntati concursum denegare, ita potest etiam eundem decernere solum pro certa determinataque operatione instar illius concursus, quo ad operationes causarum necessariarum cooperatur: undenam enim ostendi potest hujus rei repugnantia? Atqui tum profecto simul cum indifferencia iudicii addeset necessitas in voluntate, seu impotentia nisi ad unam operationem. b) Potest Deus voluntati qualitatem imprimere, infrustrabiliter connexam cum operatione, vel eam necessario inferentem. Talis enim est, ut nobis quidem videtur prædeterminatio physica, quamquam id Thomistæ nolint propterea concedere, quia prædeterminatio (quemadmodum ipsi sollicitè monent, ut salvare utcumque possint libertatem) non se tenet ex parte actus primi, nec est virtus activa, sed tantum est applicatio virtutis. Tale etiam facile concipitur auxilium aliquod gratiæ potentissimum, voluntatem ad actum ineluctabiliter pertrahens: experientia enim ipsa videtur comperire magnam graduum diversitatem in divinis motionibus: unde incredibile plane videtur esse, quod Deus in infinitis suis thesauris non habeat gratias, quæ voluntatem creatam ad unum penitus adstringant.

128. **Objicies 1.^o** cum R. P. Renato Billuart. «Voluntas est appetitus rationalis sequens cognitionem et ductum intellectus, cum non sit nisi boni, quod sibi per vim cognitivam proponitur... Ergo sicut implicat voluntatem appetere objectum, quod sibi per intellectum non proponitur, seu incognitum; ita implicat aliter appetere, quam sibi proponitur, consequenter necessario appetere, quod sibi sub indifferencia proponitur: alioquin sicut in primo casu, ita in secundo foret, et non foret appetitus rationalis» (1). Antecedens, in quo nulla est difficultas, fusiùs probatur a Reverendo adversario nostro, consequens vero non amplius probatur.

Respondeo, conc. antec., dist. conseq. Implicat objectum, indifferenter propositum, necessario appetere, si solum objecti meritum respiciatur, *conc.*; si superveniat aliquid aliud principium, quod voluntatem efficienter ad unum

(1) Billuart. loc. cit. art. 5.

determinet, *neg.* Undenam id repugnare ostendis? Nec vero volitio sic per divinam omnipotentiam necessario procedens desineret esse rationalis, ut assertit sine ulla probatione P. Billuart, quia reapse nihil appetit, quod non ratio proponit. Et quamvis modus proponendi objectum esset *objective* indifferens, volitio autem necessaria, eatenus duntaxat hæc diversitas esset *irrationalis*, quatenus repugnaret rationi, ut voluntas etiam divinitus necessitari queat stante objectiva indifferencia. Atqui hoc est in quæstione, et hoc non probat Reverendus objiciens, et contrarium nos probavimus.

Objic. 2.^o cum eodem. «Totius libertatis radix est in ratione constituta: unde secundum quod aliquid se habet ad rationem, ita se habet ad liberum arbitrium... Ergo implicat voluntatem necessario adstringi alicui objecto, circa quod se habet indifferenter ratio» (1)—**Respondeo** eadem distinctione.

Objic. 3.^o «Sic se habet voluntas circa bonum, sicut intellectus circa verum... Atqui implicat, quod intellectus habeat ut certissimum objectum, ipsique firmiter adhæreat, quod incertum esse advertit. Ergo similiter implicat, quod voluntas necessario adhæreat objecto, quod non ex omni parte bonum et plene satiativum, sed cum indifferencia proponitur» (2).

Respondeo, transeat antec., quamquam sunt multæ discrepantiæ in modo tendendi duarum istarum potentialium ad propria objecta, ut patet ex alibi dictis. Et *distingo* consequens eodem modo, quo in prima objectione distinctum est, quia adversarius noster eadem semper oberrat chorda. Et nota insuper disparitatem inter voluntatem et intellectum. Intellectus non potest certum judicare id, quod advertit certum non esse, id enim foret aperte falso adhærere, quod repugnat prorsus intellectui. Si vero voluntas, posita indifferencia objectiva, necessitaretur, nec falsum nec malum admitteret, quia quamvis voluntas determinaretur ad unum, posset amplecti, et reapse amplecteretur objectum, quod bonum, non quidem undequaque perfectum, sed tamen hic

(1) Id. ibid. *Confirmatur 1.^o*

(2) Id. ibid. *Confirmatur 2.^o*

et nunc conveniens et amabile sibi proponeretur ab intellectu; nec ad hoc necesse esset asserere, quod bonum istiusmodi sit aut omnibus numeris absolutum, aut unice appetibile.

Objic. 4.^o «Implicat voluntatem agere sine ulla cognitione, quia, ut dictum est, est appetitus essentialiter rationalis, sequens cognitionem et ductum intellectus. Atqui id contingeret, si ferretur necessario in objectum sub indifferentia propositum. Ergo... Prob. Minor. Non ageret, nec regeretur per illam cognitionem, quæ repræsentat objectum ut indifferens, alioquin ferretur etiam in illud indifferenter; neque foret altera cognitio, ut supponitur. Ergo sine ulla cognitione ageret» (1).—*Respondeo neg.* Minor. et superadditam probationem; quemadmodum enim scite observat Eximius Doctor, ut voluntas necessitetur a Deo, non oportet, «ut ipsa velit necessitari, sed solum quod necessitetur, ut velit; sicut quando voluntas libere vult, non oportet, ut modum ipsum libere operandi directe velit, sed ut in actu exercito libere velit. Unde fieri potest, ut quis libere velit, et id ignoret, immo erret credens non libere operari, ut hæretici errant. Et similiter e converso potest quis a Deo necessitari ad volendum, ipso neque sciente, neque volente, sed solum directe volendo objectum propositum, et ideo nihil refert, quod objectum non supponatur cognitum, vel iudicatum necessarium. Neque propterea voluntas ferretur in cognitum, quia non fertur in necessitatem actus, vel objecti, sed in ejus bonitatem. Neque etiam indifferentia cognita in objecto ob stare potest necessitati actus ab extrinseca motione proveniente, quia licet sit indifferens iudicium objecti cogniti, per efficaciam extrinseci agentis impeditur voluntas, ne actum circa tale objectum suspendere possit, tendendo necessario in bonitatem objecti, nihil curando de indifferentia ejus» (2).

Objic. 5.^o Si voluntas, stante iudicio indifferenti, necessitaretur, cogereetur. Atqui voluntas nequit cogi positive seu in actus positione, ut in præcedenti paragrapho probatum reliquimus. Ergo—*Respondeo neg.* Major., quia quamdiu actus voluntatis vere ab ea procedat, etiamsi necessario; non

(1) Id ibid.

(2) Suarez, Prolegom. 1.^a de Gratia, cap. 4, num. 18.

potest quoad rem ipsam dici coactus, utpote qui non est ab extrinseco principio. Nihilominus quamquam actus ipse necessarius non sit violentus, necessitas vero, quatenus præternaturalis est, videtur aliqua ex parte violenta, quia privatur voluntas dominio, quod habet in suum actum, et impeditur, ne uti possit naturali potestate suspendendi illum. Sicut etiam si Deus illam necessitaret ad non volendum, negando illi concursum, vim quamdam illi inferret, negando illi, quod secundum naturæ ordinem debitum est, contra naturalem inclinationem» (1). At vero ejusmodi vis si dicenda sit violentia, videtur revocanda esse omnino ad violentiam privativam vel negativam.

Objic. 6.^o Non potest Deus facere, ut potentia, quæ ex natura sua non est libera, libere per miraculum operetur. Ergo nec potest facere, ut potentia, quæ ex natura sua est libera, necessario operetur.—*Respondeo neg.* conseq. et paritatem. Primo quia potentia in actu primo non libera non potest libere operari, quandoquidem libera operatio, cum sit emanatio a potentia libera, unde sumit denominationem liberæ operationis, essentialiter pendet a potentia formaliter libera. Verum potentia libera, suam retinens in actu primo libertatem, potest habere plures actus necessarios, ut jam superius vidimus, tum propter conditionem objecti, totam explentis amplitudinem potentiæ appetitivæ, tum propter defectum præviæ deliberationis, ex parte intellectus requisitæ; et ideo nihil vetat, quominus necessitari queat, quia per hoc natura ejus non mutatur, sed tantum impeditur, ne secundum suam integram potestatem operetur. Præterea duas condiciones requirit operatio formaliter libera, ut ex superius probatis colligitur, prima ut sit per se atque immediate voluntaria, quia est actus potentiæ, realiter identificatæ cum voluntate; secunda ut feratur in objectum cognitum cum indifferentia rationis: quæ duæ conditiones solum inesse possunt voluntatis operationi, quia prima deest intellectioni, et utraque operationibus inferiorum potentialium. Quare nulla potentia necessaria, nempe distincta a voluntate, potest elevari, ut operetur libere. E converso non apparet

(1) Suarez, loc. nup. cit. num. 20.

repugnantia in eo quod, etiam positis illis duabus conditionibus, quæ quidem sufficiunt, ut voluntas, si connaturali modo operari sinatur, liberum eliciat actum, possit divinitus impediti, ne libere operetur (1).

Objic. 7.^o S. Thomas ideo docet voluntatem libere operari, quia *judicium rationis ad diversa se habet*, vel quia *potest diversas boni et mali conceptiones habere* (2). Ergo sentit stante indifferentia objectiva, voluntatem non posse ad unum determinari. Præterea S. Augustinus: *Si necesse est*, inquit, *ut velit, unde volet, cum voluntas non erit?* Et postea: *Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate: porro quia est in potestate, libera est nobis* (3). Quibus similia leguntur apud S. Bernardum: *Non cogitur, non extorquetur: est quippe voluntatis, non necessitatis. Alioqui si compelli valet invitus, violentus est, non voluntarius; ubi autem voluntas non est, nec consensus. Non enim est consensus nisi voluntarius: ubi ergo consensus, ubi voluntas; ubi autem voluntas, ibi libertas*. Ergo secundum sanctos hosce Doctores non est voluntarium, quod necessario fit, ac proinde nequit voluntas necessitari.—**Respondeo** ad S. Thomæ testimonia, *neg.* conseq. Quia in laudatis locis solum docetur indifferentiam iudicii esse radicem libertatis, quod ultro admittimus, et nos ipsi probavimus; libertatem autem vel formaliter esse in hujusmodi indifferentia, vel hac posita impediti nullatenus posse, nec dicit S. Thomas, nec ex illa ejus doctrina logice inferitur. Eademque esto responsio ad loca S. Augustini et S. Bernardi, qui cum voluntarium esse posse necessarium negant, accipiunt voluntarium pro libero, ac tantum videntur significare voluntatem, spectata natura sua et in plerisque actibus suis liberam esse. Nam certo certius est posse dari, ac reapse dari, volitionem et actum voluntarium, quin sit liber, ut constat in amore beatifico et in actibus indeliberatis, ut superius explicuimus.

(1) Cfr. Suarez, loc. cit. num. 21.

(2) S. Thom. 1 p. quest. 83, art. 1, 1. 2. quest. 17, art. 1, ad 2.^{um}

(3) S. August. *de lib. arbit.* lib. 3, cap. 3.

ARTICULUS III.

Utrum liberum arbitrium vel libertas indifferentiæ recte definiatur potentia, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere et non agere.

129. Dixi superius hanc mihi videri omnium præstantissimam libertatis definitionem, quæ quidem licet communissima olim fuerit, et planissima videatur, diversimode tamen intellecta et applicata fuit a diversis theologicis scholis, ex quo controversiæ exortæ sunt sæculo XVI inter Thomistas et auctores nostros circa modum divini concursus et auxilii divini efficaciæ. Radix totius dissensus variarumque interpretationum in hoc stat, quod Thomistæ ponant inter prærequisita eam conditionem, videlicet *physicam*, quam vocant, *præterminationem*, qua reliqui Theologi et Philosophi arbitrantur perimi prorsus libertatem, idque ex hac ipsa definitione demonstrare nituntur: unde factum est, ut Thomistæ receptissimam definitionem vel minus probarent, vel etiam respuerent, vel certe aliter interpretarentur, quantum attinet ad potentiam agendi et non agendi, ubi adsunt prærequisita. Verum quia definitio est quodammodo classica, quæque a nemine in aliquo sensu detrectari valeat, eam prius generatim probabimus, et postea in vero sensu tuebimur.

Opinione hac
in re
diversitas,

ejusque radix.

§ I.—DEMONSTRATUR GENERATIM PRÆDICTA DEFINITIO.

PROPOSITIO I.^a Liberum arbitrium vel libertas indifferentiæ sumpta in actu primo recte definitur facultas, quæ, positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest operari, et non operari.

Declaratur propositio. Prærequisita, ut ipsa vox indicat, *quid prærequisitas* sunt ea, sine quibus facultas operari nequit, et quibus positis jam potentia constituta et expedita est ad operandum. *quædam notiones enucleantur* Quod ut melius intelligas, observa dupliciter requiri aliquid

ad meliorem
rei notitiam.

posse ad operandum: primo, prævie atque antecedenter ad ipsam actualem operationem, sive illud sit principium aut virtus agendi, sive conditio duntaxat ad agendum, quomodolibet et in quocumque genere causæ necessaria; quamvis sepe videntur prærequisita intelligi ea, quæ præter virtutem causæ necessaria sunt ad operandum. Secundo requiri aliquid potest ad actionem non tamquam aliquid prævium, vel se tenens ex parte actus primi potentia libera, sed tamquam intrinsece et essentialiter inclusum in ipsa actuali operatione: qualis est v. g. influxus et cooperatio Dei actu cum voluntate concurrentis. Id quod hoc pacto requiritur ad operandum, non est prærequisitum, sed tantum requisitum concomitanter, nec distinguitur ab ipso actu vel operatione libera: quare definitio non intelligitur de huiusmodi requisitis, sed de requisitis antecedenter, seu de veris *prærequisitis*, quibus positus, potentia, si libera sit, debet posse operari, et non operari. Ex quo vides illico, qui independenter ab usu libero suæ voluntatis caret aliquo prærequisito essentiali ad operandum, eum saltem hic et nunc liberum non esse ad actum. Et ratio est, quia libertas importat essentialiter indifferentiam activam, ac proinde veram potestatem agendi. Atqui sine prærequisitis omnibus essentialibus non datur potestas saltem expedita agendi. Ergo qui independenter a libero usu voluntatis suæ caret aliquo prærequisito essentiali, non est hic et nunc liber. Qui autem libero usu voluntatis suæ potest sibi procurare prærequisitum essentielle, quo caret, simpliciter liber est, quia vere habet libertatem in actu primo remoto et potestatem transeundi ad actum primum proximum, et consequenter ad secundum.

Quænam sint
prærequisita ad
liberum actum
necessaria.

Si jam queras, quænam sint hæc prærequisita, quæ liberam potentiam constituunt plene in actu primo proximo, facilis est responsio ex hactenus probatis: 1) primo enim quoniam voluntas nihil agere potest sine apta prælucente cognitione, prærequiritur ex parte intellectus iudicium indifferens, quod nempe proponat objectum ut dignum, quod hic et nunc appeti, aut etiam respui queat, non tamen tale, quod ineluctabiliter impellat ad actualem amorem vel amoris omissionem. Quare ut jam superius inuimus, ad libertatem specificationis prævium iudicium debet exhibere objectum

non undequaque bonum vel malum, sed finitum ideoque bonum malo mixtum, ut v. g. honestum quidem, sed incommodum, delectabile vel utile, sed turpe aut saluti noxium, etc.; sive propositio huiusmodi fiat uno actu iudicii, sive duobus, quorum alterum rationem boni, alterum rationem mali continet. Ad libertatem vero contradictionis aut exercitii iudicium indifferens debet proponere vel finitum bonum, vel si proponit infinitum, debet aut illud obscure proponere, aut etiam difficultatem aliquam vel molestiam in ipso actu: ex quo fit, ut cognitio Dei in hac vita, etiamsi sit actus supernaturalis Fidei, Deum referens ut summe amabile atque objectum beatitudinis nostræ, adhuc non necessario inferat actum amoris, quia est abstractiva, non intuitiva, ideoque obscura, vel quia proponit actum amoris erga illum ut aliquantulum molestum, aut certe non ut beantem me hic et nunc, et explentem omnem capacitatem mei appetitus. 2) Ex parte voluntatis prærequiritur virtus ejus peculiaris, et, si ea ex sese non sit adæquata, additio necessariæ activitatis, ex qua jam voluntas contineat totam perfectionem actus perficiendi: quare ad actum supernaturalem prærequiritur auxilium gratiæ supernaturalis, prout Theologi docent. 3) Et quoniam nulla causa creata, quantumvis completa in ordine suo, potest agere sine concursu divino, ex parte Dei prærequiritur omnipotentia parva concurrere cum voluntate hominis, per decretum nempe divinæ voluntatis ab æterno statuentis cum causa libera, tali temporis momento, ad talem actum tali modo peragendum cooperari. Porro in opinione Thomistarum concursus divinus præparatus manet per decretum dandi prædeterminationem physicam; at vero secundum nostrâ principia decretum Dei, omnipotentiam applicantis ad concurrendum cum libero arbitrio, debet esse indifferens, tale nempe quod sit compossibile cum quovis extremo, ad quod datur libertas, et ipsi voluntati liberæ relinquens determinationem actualis concursus omnipotentia ad alterum præ altero extremo. Si enim decretum cum uno duntaxat extremo connexum sit, non intelligitur a nobis, quo pacto sit potestas eligendi inter plura, Quamobrem indoles ejusmodi decreti, quantum explicari utcumque ingenii nostri imbecillitate potest, hæc videtur esse: «Volo efficaciter

libertatem creaturæ proxime expeditam ad bonam vel malam operationem, ad obedientiam vel transgressionem legis, ut bonam, quam quidem unice intendo, et procuro, libere ac meritorie ponat, ideoque nolo ex propria determinatione impedire malam, quam tamen non approbo, sed serio detestor, et prohibitam manere volo» (1). Verum hæc, quæ Thomistis vehementer displicent, et in suo loco probanda erunt, nequaquam nunc in controversiam adducuntur; sed ideo tantum innuere volui, ut connexio hujus quæstionis, quam solvendam assumpsimus, cum illa alia gravissima de concursu divino, et aliqua rei adumbratio perspicatur. Verbo, tertium prærequisitum liberi arbitrii est concursus divinus ita præparatus, ut voluntas potestate gaudeat operandi et non operandi, quidquid sit de modo rem declarandi, de quo in *Theodicea* disputandum erit. 3) Denique inter prærequisita recensetur generatim a nostratibus carentia cujusvis impedimenti per ipsum actum secundum inaufertibilem, ac proinde carentia cujusvis dispositionis affectionisve inimpedibilis, quæ necessario connexa sit cum uno determinato extremo libertatis, quia horum quodlibet affert verum impedimentum et veram impotentiam hic et nunc alterius extremi; ex quo capite solet rejici prædeterminatio physica, quæ ita connexa dicitur a suis assertoribus esse cum actu voluntatis, ut illa accepta, repugnet metaphysice voluntatem non operari. Hoc tamen prærequisitum supponit definitionis libertatem interpretandam esse eo sensu, quem in sequente paragrapho tuebimur.

Et hæc quidem sunt prærequisita; cum vero iis positis potentia libera dicitur in definitione posse operari et non operari, sensus est, non quod possit conjungere operationem cum illius omissione, id enim repugnat, sed quod postquam plene et complete est instructa omnibus ad operandum prærequisitis, ita possit operari, ut possit quoque non operari, vel abstinere ab operatione.

Libertatem
arbitrii vel
libertas in actu
primo

130. Jam probatur propositio vel definitio libertatis; 1.^o ex communissima catholicorum scriptorum sententia; nam in determinanda vocis acceptione ac natura rerum abstrusarum

(1) Vide Lossada, *Physic.* tract. 2, disp. 8, cap. 3, num. 15 seqq.

explicanda plurimum valet auctoritas sapientium virorum. Sane hanc præbet notionem clarissime Nemesius in suo præclaro libro *de natura hominis* (1). Eandem tradiderunt veteres Scholastici, Henricus, Hervæus, Scotus, Gabriel Biel, Marsilius, Dionysius Cisterciensis alique plurimi (2); eandem princeps Thomistarum Capreolus (3); eandem ut in scholis receptam proponunt Corduba (4) et Dominicus Soto (5). Denique ut cæteros omitam, quos longo ordine laudatos reperies apud P. Didacum Ruiz de Montoya (6), eandem libertatis notionem ut communem in sua schola amplectitur Mastrius, et communiter etiam tradunt nostrates cum Eximio Doctore (7), nec reuunt eam recipere in aliquo sensu Thomistæ posteriores, ut v. g. Joannes a S. Thoma (8), Collegium Complutense S. Thomæ (9) et Billuart (10), quamvis

recte definitur
facultas,
quæ, positis
omnibus ad
operandum
prærequisitis,
potest operari,
et non operari.

(1) *Debet... esse liberum, quod in nostra potestate est. Esset autem liberum, si, iisdem positis causis, in nobis esset aliquando appetere, aliquando refugere; at si necessario appetitus sequitur, certe etiam falso fiunt, quæ appetitum sequuntur, etsi a nobis fiunt, et natura nostra, et appetitu, et iudicio. Si enim fieri posset, ut appetitus non sequeretur, falsa esset hæc enuntiatio; iisdem causis positis, idem sequi necesse esse.* Nemesius Emesenus, *de natura hominis*, cap. 35, apud Migne, *Patrolog.* græca, tom. 40, pag. 746.

(2) Apud Suarez (*de grat.* Proleg. 1.^o cap. 3, num. 4), et apud Didacum Ruiz de Montoya (*de scientia Dei*, disp. 50, sect. 4), Ripalda (*de Ente supernat.* tom. 3, disp. 15, sect. 12), et Magistrum Sendin ex sacro Ordine Seraphico (*de liber. arbitrii*, tract. 4, sect. 2), etc.

(3) En notionem, quam dat Capreolus necessarij et liberi: «Illud dicitur agens naturale, quod positis omnibus requisitis ad agendum, et nullo posito impedimento, quin ipsum possit agere, necessario agit. Illud vero agens dicitur liberum, quod, eodem modo positis omnibus requisitis, ita ut possit agere, non necessario agit, sed in potestate ejus est, ut agat, et non agat.» Capreolus, 1.^o dist. 6, quæst. unic., art. 3, ad arg. Scoti contr. 4.^{am} conclus.

(4) Lib. 1 *Questionum*, quæst. 55, dub. 9 et 10.

(5) *De natura et grat.* lib. cap. 16.

(6) *De scientia Dei*, loc. cit.

(7) Loc. cit.

(8) *De anim.* quæst. 12, art. 3, vers. fin.

(9) *De anim.* lib. 3, quæst. 11, paragr. 1.

(10) Op. cit. tom. 2, *de actibus humanis*, dissert. 2, art. 1, paragr. 4.

dissentiant a cæteris doctoribus in interpretatione, ut mox videbimus.

Prob. 2.^o Potentia libera differt a necessaria, eique opponitur. Atqui potentia libera et necessaria conveniunt in eo quod nequeant sine prærequisitis operari, conveniunt etiam in eo, quod positus prærequisitis possint operari; certum pariter est potentiam necessariam, prærequisitis instructam, ita posse operari, ut non possit non operari. Ergo potentia libera proprium est, ut positus prærequisitis possit operari vel non operari.

Prob. 3.^o Liberum arbitrium essentialiter importat indifferentiam, eamque activam. Atqui nisi esset potentia, quæ, positus omnibus ad operandum prærequisitis, potest operari et non operari, non intelligitur, quo pacto indifferentiam activam essentialiter importaret. Nam si spectetur antecederet ad prærequisita, non indifferentiam activam, sed veram impotentiam habet, quandoquidem nulla causa potest operari sine prærequisitis; si vero spectetur cum prærequisitis, eatenus indifferens active esse potest, quatenus potentiam habet operandi et non operandi.

Nec vero deest huic doctrinæ patrocinium S. Thomæ; quamvis enim nullibi, quod ego norim, integram istam definitionem libertatis tradiderit, rem certe ipsam docuit. Scripsit enim aliquando, *quod facultas nominat quantoque potestatem expeditam ad operandum, et sic facultas ponitur in definitione liberi arbitrii* (1). Et alibi: *Facultas secundum communem usum loquendi significat potestatem, qua aliquid habetur ad nutum, unde et possessionis facultates dicuntur, quia in dominio sunt possidentis. Et ideo liberum arbitrium facultas dicitur..... quia actum suum in libera potestate habet* (2). Atqui liberum arbitrium non potest importare potestatem expeditam ad operandum, nec actum habere ad nutum et in libera potestate, nisi habeat in promptu omnia prærequisita ad operandum. Ergo non est alienum a mente S. Thomæ, quod libertas sonet potentiam prærequisitis instructam. Quod

(1) S. Thom. 1. p. quest. 87, art. 2, ad 2.^{um}

(2) 2.^a dist. 24, quest. 1, art. 1, ad 2.^{um}

vero liberum arbitrium possit operari et non operari, id est, velle et non velle, velle hoc vel illud, passim docet Aquinas (1).

II. QUO SENSU INTERPRETANDA SIT PRÆDICTA DEFINITIO.

131. Et hæc quidem satis plana videntur esse; ecce autem radix discordiæ ac difficultatum. Thomistæ putant causam liberam, sicut generatim omnem causam creatam, operari non posse sine prævia motione aut physica prædeterminatione Dei, quæ non quidem tempore, sed natura et causalitate præcedere debet operationem, ita ut absque hujusmodi prædeterminatione repugnet causam liberam operari, cum illa vero repugnet non operari, quia prædeterminatio infallibiliter infallibilitate metaphysica connexa est cum operatione causæ creatæ. Hæc tamen doctrina a cæteris viris doctis non potuit non impugnari ex ipsa libertatis definitione. Si enim prædeterminatio physica necessarium atque essentialiter prærequisitum est ad operandum, quid tandem fiet de libero arbitrio, quod definitur facultas aut potentia, quæ, positus omnibus prærequisitis, potest agere, et etiam potest non agere? Argumentum hoc, ex libertate petitum, semper molestissimum accidit Thomistis, quacumque tandem forma proponatur; multo vero evidentius apparet, considerata ista, quam tractamus, definitione libertatis: nam esse aliquid prærequisitum ad operandum, et, eo positio, impossibile esse, ut certa ac determinata operatio non sequatur, in terminis pugnat cum prædicta definitione. Quare nihil mirum, si Thomistæ, ex quo exortæ sunt controversiæ de gratia et modo concursus divini, malint alias libertatis adhibere definitiones. Verum quia nec effugere argumentum adversariorum poterant, nec absolute rejicere definitionem communissimum calculo receptam, dixerunt illam veram esse si sermo sit de prærequisitis tempore præcedentibus actum, quales sunt gratia sufficiens, habitus, etc. (2); si autem sermo sit de prærequisitis solum natura et causalitate actum antecedentibus, qualis est physica prædeterminatio, definitionem illam acceptari non posse nisi sub celeberrima illa *sensus compositi ac divisi*

Radix discordiæ
in interpre-
tanda libertatis
definitione.

Interpretatio
Thomistarum.

(1) Vide v. g. 1. 2. quest. 13, art. 6; de verit. quest. 22, art. 6.

(2) Billuart, loc. cit., in respons. ad Dices 1.^o

distinctione: nimirum dicunt in præsentia vel in sensu composito præsquisitorum adesse quidem potentiam non agendi, non tamen posse dari omissionem actus, omissionem autem actus solum dari posse in sensu diviso prædeterminationis, seu cessante prædeterminatione (1). Unde etiam illam aliam usurpant loquendi formulam; in sensu composito prædeterminationis adest quidem *simultas potentiae*, non vero *potentia simulata*, quia videlicet præsente prædeterminatione adest *simul* potentia non agendi vel aliud agendi, quæ tamen exerceri nequit, quamdiu divina illa motio perdurabit, ita ut impossibile sit *simul* esse prædeterminationem ad aliquem actum et omissionem illius aut alium distinctum actum. Qui vero negant físicas prædeterminationes, arbitrantur liberum arbitrium esse talem facultatem, quæ in sensu composito quorumcumque præsquisitorum non solum servet potentiam non agendi, sed etiam possit de facto actum omittere. Quæ nobis doctrina tenenda est cum communi Scotistarum et nostratibus consensu. Quare vides quæstionem hanc esse connexam cum quæstione de physica prædeterminatione, quæ tamen nunc omnino prætermittenda est, et ad materiam de concursu divino amandanda; præsens vero controversia solum pertinet ad veram notionem et conceptum libertatis, cujus existentiam probavimus.

cui opponitur
venit
interpretatio

communiter a
Scotistis
et nostratibus
adhibita,

(1) «Hanc definitionem non rejicimus, inquit Billuart, sed absque explicatione non admittimus, quia licet non sit absolute falsa, est tamen ambigua, et ab eis proposita, qui prænotiones físicas rejiciunt, neque ulla ejus mentio reperitur in S. Thoma. Igitur potest intelligi ista definitio de præsquisitis tempore, vel natura et causalitate tantum. Item potest intelligi de potentia agendi et non agendi in sensu composito vel diviso. Si intelligatur de præsquisitis tempore, concedimus, quod libertas sit potentia agendi vel non agendi in sensu tam composito, quam diviso, ita ut cum præsquisitis tempore ad actum possit non solum componi potentia non agendi, quod est sensus divisus, sed etiam non actus quod est sensus compositus. Si autem intelligatur de præsquisitis tantum natura et causalitate, negamus, quod possit agere vel non agere in sensu composito et potentia consequente, sed tantum in sensu diviso et potentia antecedente: hoc est cum requisitis natura tantum ad actum non potest componi non actus, bene tamen potentia non agendi.» Billuart, loc. cit.

132. PROPOSITIO 2.^a Prædicta definitio libertatis ita interpretanda est, ut in sensu composito præsquisitorum non solum detur potentia ad non agendum, sed possit etiam dari, atque adeo sæpe detur, omisso actus.

Probatur 1.^o quia hic est reapse obvius sensus et procul dubio intentus a veteribus, qui eam definitionem invenerunt, et suis scriptis celebrarunt.

que probatur.

Prob. 2.^o quia nisi definitio illa intelligatur in sensu composito præsquisitorum, modo explicato, re vera nihil peculiare continet, quod causis necessariis non conveniat, vel potentiam liberam a necessariis secernat. Ergo in sensu composito intelligenda est. Prob. antecedens. Nam non posse agere sine præsquisitis et posse agere illis positis, commune est potentiae liberæ cum necessariis. Item posse omittere actum in sensu diviso præsquisitorum, seu si absit aliquid ex necessariis præsquisitis, et non posse cohibere actum, positus præsquisitis, profecto non minus convenit causis necessariis. Ergo si potentia libera non potest componere præsquisita omnia cum omissione actus, nequit assignari, in quo a necessariis distinguatur (1).

(1) Ad rem Suarez: «Positis omnibus præsquisitis ad agendum posse non agere in sensu diviso, id est, retinere potestatem ad non agendum, ablata aliqua conditione ex præsquisitis, non est proprium potentiae liberæ, sed cuilibet naturaliter agenti convenit. Nam.... oculus videt objectum imprimens speciem, et est potens ad carendum visione, si auferatur species: et intellectus ipse dum credit a voluntate motus, potens est ad non credendum, si voluntas aut non moveat, aut in contrarium actum inclinet; non enim suam potentiam in actu primo, quam innatam habet ad utrumque actum, amittit, quando ad credendum per voluntatem applicatur. Ergo, positus omnibus requisitis, est potentia non credendi, vel dissentiendi in sensu diviso: ergo id non est satis ad potentiam formaliter liberam; vel dicendum est, intellectum esse potentiam formaliter liberam, quod nec verum est, neque a dictis auctoribus admittitur. Ergo ut illis verbis formalis libertas voluntatis explicetur, necesse est, ut in sensu composito accipiantur.—Idem argumentum sumi potest ex ipsamet voluntate: nam in beatitudine non libere, sed necessario beatus amat Deum, quia, positus præsquisitis ad illum amorem, non potest non amare in sensu composito, et nihilominus ibi etiam retinet potestatem non amandi in sensu diviso: nam si visio ad illum amorem requisita auferatur, poterit voluntas ab illo amore cessare, sicut in Paulo

Vel, si mavis, idem argumentum sic poteris proponere. In hoc, testantibus cunctis, potentia necessaria discernitur a libera, quod illa sit determinata ad agendum, hæc vero non. Atqui in sensu diviso prærequisitorum etiam potentia necessaria non est determinata; in sensu autem composito prærequisitorum, secundum adversarios, etiam potentia libera ineluctabiliter determinata est ad agendum, ita ut omissio actus dari nequeat, nisi ablato aliquo ex prærequisitis. Ergo in adversariorum sententia non apparet discrimen inter causam liberam et necessariam.

Prob. 3.^o Tessera potentiæ liberæ est, ut habeat dominium actus; dominium vero actus importat potestatem ponendi vel non ponendi actum. Atqui dominium actus haberi non potest, cum deest aliquod prærequisitum necessarium, siquidem sine illo non datur vere potentia agendi; neque habetur vere dominium, si dum adsunt omnia prærequisita, non potest dari omissio actus, quia tunc in sensu composito illorum non potest cohiberi actus. Ergo nisi definitio libertatis intelligatur in sensu composito prærequisitorum, nullum superest agenti dominium, ac proinde nulla libertas (1).

Confirmatur 1.^o Si voluntas, positus omnibus prærequisitis, non posset omittere actum, nec posset ab illo cessare, postquam semel incepit, donec aliquod ex prærequisitis auferatur, nam eadem est ratio pro inchoatione, ac pro continuatione actus. Atqui novit quisque per experientiam se posse solum pro lubito, semel inceptum actum suspendere, etiamsi adsint prærequisita. 2.^o Si in sensu composito prærequisitorum non est potestas omitendi actum, necessario sequitur actus; quia necessarius actus est ille, qui positus prærequisitis, non potest non poni. Ergo in sensu composito prærequisitorum non datur libertas. Atqui neque in sensu diviso prærequisitorum dari potest vere libertas, nempe proxime et complete, quia impossibile est agere sine prærequisitis. Ergo secundum adversariorum interpretationem

contigit, si in raptu Deum vidit», etc. Suarez de Gratia., Prolegom. 1.^o, cap. 3. num. 8, 9.

(1) Cfr. Suarez loc. cit. num. 10.

sequitur nullam dari potentiam liberam, saltem proxime constitutam (1).

Ceterum hæc, quæ generatim probavimus de prærequisitis, intelligenda sunt etiam de iis, quæ se tenent ex parte Dei, ut per se patet, quia ratio est eadem (2). Quamobrem quidquid generatim ita antecedit ipsum formalem actum secundum potentiæ liberæ, ut eoposito vel in sensu composito illius jam non sit possibilis omissio actus, vere tollit libertatem.

133. Dices 1.^o «Eo ipso instanti, quo sunt prærequisita natura tantum (priora) ad agendum, ut sunt v. g. iudicium ultimum rationis practicæ et determinatio, qua voluntas se ipsam determinat ad agendum, est actio. Implicat autem posse componi simul non actionem cum actione. Et cum præmotio divina sit ex prærequisitis natura et causalitate (prioribus) ad agendum, et in eo ipso instanti, quo datur, homo agat, liberum arbitrium sub illa non potest non agere in sensu composito, sed in sensu diviso et potentia antecedente tantum; hoc est, non potest componere non actionem cum illa, sed tantum potentiam non agendi» (3).

Respondeo dist. primam propositionem. In eo ipso instanti naturæ, in quo sunt prærequisita natura solum et causalitate antecedentia, datur etiam actio, *neg.*; in eo ipso instanti temporis, *subdist.*; si actio nequit omitti in sensu composito prærequisitorum, *conc.*, sed tunc *neg.* suppositum videlicet actionem ejusmodi fore liberam. In eo ipso instanti, in quo sunt istiusmodi prærequisita, datur etiam actio, si hæc omitti possit, *nego* saltem quod semper et universaliter detur. Jam enim generatim ostendimus si prærequisita, sive tempore sive natura priora, talia sint, quibus positus repugnet actionem omitti, nullum superesse locum libertati. Unde etiam in præcedenti disputatione probavimus, iudicium practicum in sensu thomistico explicatum tollere libertatem (4). Exemplum vero determinationis, qua voluntas se

Quidquid ita antecedit actum formalem

liberæ potentiæ, ut, eoposito, jam non sit possibilis omissio actus, lædit libertatem.

Objectiones solute.

(1) Cfr. Suarez, loc. cit. num. 10, 11.

(2) Vide, si vis, Eximium Doctorem, id speciatim probantem, loc. cit. num. 12 seqq.

(3) Billuart, loc. cit.

(4) Vide supra num. 55, pag. 133 seqq.

ipsam determinat ad agendum, non est ad rem, quia determinatio non est praequisitum, sed ipsa formalis actio libera voluntatis (1). Ultimum vero membrum, in quo dicitur praedeterminatio physica esse praequisitum natura duntaxat et causalitate praecedens actum voluntatis, ideoque non posse componi cum omissione actus, negatur prorsus, quia ut jam probatum est, nullam relinquit possibilem libertatem.

Dices 2.^o In ipsa «sententia eorum, qui hanc (libertatis) definitionem adeo extollunt, quia gratia congrua est de praequisitis natura tantum ad agendum, homo sub illa non potest in sensu composito et potentia consequente non agere, sed in sensu diviso tantum et potentia antecedente: alioquin gratia non foret congrua, et praescientia Dei falleretur» (2).—**Respondeo, neg.** assert. Ratio enim, cur in sententia Societatis homo sub gratia congrua non potest in sensu composito et potentia consequente non agere, non est rependa ex eo, quod gratia ejusmodi sit de *praequisitis natura tantum* (prioribus) *ad agendum*, sed ex eo quod infallibili scientia Dei cognoscitur habituram esse effectum, quem, sola illius spectata natura et humanae voluntatis conditione, potuisset non habere. Et sic gratia congrua essentialiter impiecat talem entitatem auxilii divini, quae ex se atque ex intrinseca naturae suae conditione posset stare cum dissensu voluntatis, quamvis de facto consensum obtenturam esse videt Deus per scientiam mediam. Quare nec Deus ipse, ut nobis quidem videtur, in ejusmodi gratia a priori, ut ita dicam, seu *solum* illius considerando entitatem, posset videre consensum, quia, quamvis infallibiliter, non tamen ex *antecedente natura suae necessitate* connectitur cum consensu, quemadmodum declarant rem Theologi nostri (3). Impotentia ergo dissensus vel necessitas consensus in sensu composito gratiae congruae non est antecedens, sed omnino consequens et ex suppositione infallibilis connexionis cum consensu infallibilitate objectiva futuribilitatis, et cognoscitiva derivata ex divina scientia. At

(1) Vide supra num. 97, pag. 323 seqq.

(2) Billuart, *ibid.*

(3) Vide Wireburgenses, *De gratia actuali*, cap. 4, artic. 4; Mendive, *De Gratia*, disert. 2.^a cap. 4, art. 5.

vero praedeterminatio physica, qualem adstruunt Thomistae, ex natura sua infallibiliter connexa est cum consensu, ideoque impossibilitas ejus cum dissensu vel omissione actus non est solum consequens et ex suppositione, sed prorsus antecedens. Et ideo non intelligitur, quo pacto in sensu composito praedeterminationis maneat vere potentia libera. Unde nulla est paritas inter gratiam congruam et physicam praedeterminationem.

Dices 3.^o Praevius concursus etiam necessarius est voluntati ad agendum ex parte Dei. Atqui tamen eo posito non potest voluntas jam non agere. Ergo in omnium sententia verum erit, quod sint quaedam praequisita, quibus positus, jam voluntas non potest actionem omittere (1).—**Respondeo, neg.** Majorem. Nam in nostra sententia concursus non est praevius, sed simultaneus; praevius enim non est, nisi quatenus ab aeterno praeparatus, quatenus autem in tempore datus, est concomitans et involvens secum usum libertatis, quemadmodum suo loco videndum erit in *Theodicea*. Itaque concursus datus seu in actu secundo non est praequisitum, sed praequisitum est duntaxat concursus praeparatus vel oblatum, qui certe potest respui.

Dices 4.^o Voluntas, qua Deus vult liberum arbitrium operari, est unum de praequisitis. Atqui, stante hujusmodi decreto divinae voluntatis, non potest libera potentia omittere operationem. Ergo dantur quaedam praequisita, saltem ea quae se tenent ex parte Dei, cum quibus non potest voluntas omissionem actus componere (2). **Respondeo, neg.** Minor, quia voluntas illa divina non oportet, ut sit absoluta, nempe absolute decernens, ut ponat liberum arbitrium operationem suam, quemadmodum recte scripsit Dominicus Soto (3), sed potest imbitam habere conditionem, ut sit nempe voluntas concurrenti cum libero hominis arbitrio ad hunc vel illum actum, si ipse velit operari, quod semper relinquitur in potestate ipsius. Tali autem voluntas Dei, quamvis recenseatur inter praequisita, potest optime componi cum actu liberi arbitrii et etiam cum omissione actus. Unde

(1) Ita Alvarez et Ledesma apud Suarez, loc. cit. num. 2.

(2) Idem PP. Alvarez et Ledesma apud Suarez, loc. cit.

(3) Soto, *De natura et gratia*, lib. 1, cap. 16.